



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

8. De irregularitate ex homicidio voluntario commisso ex mandati, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

dum enim Filius rixans videt presentem Patrem, non potest ab ejus presentia non audacior fieri, atque adeo opera hæc Patris non potest non fieri illicita in materia iustitiae. Idem dic de amico, idemque de famulo associantibus, nisi hi essent adeo debiles, sive Senes, sive Pueri, ut clarè appareat, associationem esse ad obsequia non facientia ad rixam.

NONVS CASVS.

Occidens unum pro altero.

29. De hoc ita l.6. in Decal. c.4. §.3. n. 35. docui. Qui dicitur homicidium unius Clerici pro alio parere excommunicationem, dicunt, & parere irregularitatem ex delicto; jam enim tunc voluit homo occidere hominem. At, qui negant, parere excommunicationem, negant parere irregularitatem. Ita Collig. ex Fragoso de Repub. Christ. tit. 2. l. 1. d. 2. §. 1. n. 36. &c.

Et paulo post. Sanè Farinac. in 4. tit. declarat. fol. 41. col. 1. sine, & affertur à Fragoso apud Dianam p. 9. n. 4. resol. 31. sine, affert declarationem Cardinalium, quod mandans occidere Petrum, si Mandatarius occidat Ioannem, non incurrit Mandans in irregularitatem. At, certè par videtur ratio in casu nostro. Vtque sententia probabilitatis fines videtur attingere.

30. Hæc ibi docui. Adde nunc illud: Si quis cognovit, vel dubitavit, in aliquo loco latere hominem quempiam, nesciens esse hunc, vel illum, nec sufficienter cavuit, ne homo occideretur, & tamen occidit, irregularitatem eam fore per omnes notas Castrop. de Conf. d. 6. p. 15. §. 5. n. 4. quia tunc jam is voluit hominem occidere, & de facto occidit; non ita fuit in præcedente casu; in eo enim occidens volebat interficere Petrum determinatè, non vero hominem quemcumque, cum ergo Petrum non interfecerit, interfecerit autem profus sine ulla deliberatione Paulum, non est mirum, si probabile esse diximus, occidentem tunc excusari ab irregularitate.

§. VIII. De irregularitate ex homicidio voluntario commisso moraliter, id est orio ex consilio, mandato, &c.

1. Si mandes homicidium fieri, vel ad illud consilium des, exhorteris, suadeas, moneas, consentias, uno verbo, quomodo docunque moraliter coopereris, unde occisio aliqua sequatur, eris sine dubitatione irregularis ex homicidio per concursum positivum à te directè, & voluntariè commissum (de casuali enim dictum est supra §. 3.) Ratio est expressus Textus, c. Sicut dignum §. III. ibique Doctores, extendens irregularitatem ex homicidio ad cooperantes ad illud.

2. Hinc, si Titio affecto injuria dicas. *Vere leges nobilium statuerunt, imminui existimationem viri ingenui, nisi ultione deleatur injuria.* Si mulieri referenti, se ex te concepisse, tu ipsam doceas, hoc, vel, illo pharmaco solere expelli factum animatum, si Antonio mandanti occisionem sui adversarii, tu eum instruas de modo, quo possit adversarius imparatus, vel occultè, vel per insidias occidi; Hinc, inquam, fit, ut secuta ex vi prædictorum verborum occisione, tu in irregularitatem incidas; prædictis enim loquendi modis moralis causa homicidii es.

3. Quæres primò. Si cui, v.g. Titio, consilium, mandatum, consensum, &c. dem, ut Petrum occidat, quia v.g. me dicitur Petrus gravi affectu injuria: Sed deinde dicitur Titius affectus simili gravi injuria ab eodem Petro, Petrum occidat, ero etiam ego irregularis.

4. Respondèdo, non eris, si tuus consensus nihil operatus est, eris, si concausa fuit cum Titio, vel ad occisionem parandam, vel ad parandam promptius, & obstinatius, Patet ex dictis. An autem fueris concausa, ex circumstantiis est à prudenti colligendum. Quid si id dubium fuerit? Respondèdo. De hoc dixi c. 5. §. unice.

5. Quæres secundo. Ita Casar ex meo consilio, mandato, consensu, &c. occidit Brutum, vs, si ego occisionem non suavissem, certò suavisset alius; Ego ne irregularis ero.

Respondèdo. Quicquid sit, quoad alios effectus, certè loquendo de irregularitate, per hoc, quod alius suavisset, non effugere potes irregularitatem, quia tu nunc de facto moraliter ad occisionem concurristi. Et sicuti, si tu alium physicè occideres, quem etiam, te non occidente, occideret alius, non vitales irregularitatem, ita, si moraliter occidisti.

De irregularitate ex mandato.

6. Percutimus separatim, & in particulari cooperationem ex mandato, & ex consilio, quæ sunt præcipua capita positivi concursus moralis, juxta horum doctrinam facillè judicium feres de aliis capitibus monitionis, suasionis, exhortationis, &c. Nisi etiam velimus dicere, & fortè ita est, omnem moralem concursum ad alterum ex his duobus reduci. Cum enim in eo differat mandatum à consilio, quod mandatum datur in gratiam Mandantis, consilium vero in gratiam ejus, cui consilium præbetur, si moneas, suadeas, roges, consentias, &c. ut fiat homicidium in tuum commodum dicitur illud fieri ex tuo mandato, si eadem facias, ut fiat homicidium in commodum alterius, fieri illud dicitur ex tuo consilio. Scite id confirmat his verbis Bartolus l. non solum §. Si mand. c. n. 2. ff. de injur. Mandator dicitur ille, qui mandat delictum committi propter se ipsum Mandatorem; & ad satisfactio-nem voluntatis suæ. Persuasor dicitur ille, qui persuadet alicui propter ipsum, cui sit persuasus, & ideo non curat, quibus verbis utatur, sive dicat mando, sive rogo sive quibus-cunque verbis. Hæc Bartolus.

7. Iam verò de mandato hic loquentes, secernamus quatuor certa ab incertis, item quatuor, sed præterea ne omittas referere, quæ sup. §. 3. de concursu morali ad homicidium casuale prolata sunt, multa enim ibi dicta ad ea quæ hic disputantur, maxime faciunt.

8. Certum est primò, te fore irregularem, etiam si Mandatarius non servet modum, quem tu præscripsisti in occisione faciendâ. Insilli v.g. occidi tuum inimicum in agro, media scilicet explosione, vel ex veneno, tali, vel tali die. Ille vero occidit domi, gladio, alia die. Ratio est manifesta, quia tua iustitia substantiam posuit mortis.

9. Certum est secundo, si mandatum sufficiens et revocasti, & revocatio innotuit Mandatario; ipse autem nihilominus occidit, te non esse irregularem, quia revocato mandato, quod sciat Mandatarius, nihil tui consensus in ipso remanet. Idque verum censèo, etiam si fictè, & solis verbis, sed tamen sufficientibus, revocasti. Quando enim ejusmodi fictio non innotescit Mandatario (ut semper hic supponendum est) ipsa verba externa satis sunt apta ad extinguendum tuum mandatum. Si revocatio tui mandati non pervenit ad Mandatarium, te fore irregularem, ne sis dubium, quia tunc tuum mandatum remanens in Mandatario, causa est mortis alterius.

10. Certum est tertio, te non fore irregularem, si constet, Mandatarium ex tua iustione, nec fuisse motum ad occisionem parandam, nec factum esse animosorem, securiorem, &c. sed profus eodem modo, ac, si tu non mandasses, occidit. Patet ex dictis. Et docet cum multis Gibalin. de Conf. disp. 5. q. 3. n. 21. Si non constet, sed sit dubium, dixi supra c. 5. §. 1.

11. Certum est quarto, te non fore irregularem, si mandasti, ut occideretur Petrus, Mandatarius autem per errorem occidit Paulum, quia, in occisione Pauli, tu nullum consensum præstidisti. Ita declaratum fuisse à Sacra Congregatione notavi supra §. 7. n. 29.

Ignorantia, quod mandatum fuerit exceptum.

12. Iam incertum est primò, an sim irregularis, si mandavi

n. 2. davi tibi, ut homicidium committeres, sed nescio, an tu hoc meum mandatum exceperis, an non, sed respuctus, occidisti enim nullo dato signo mandati excepti, vel repulsi. Quare ego nescio, an tu ex meo mandato, an ex tua voluntate hominem interfeceris.

Respondeo, te esse Irregularem, quia dum mandasti homicidium, jam suspicatus es de illo, & tamen non sufficienter illud cavisti, dum mandatum non revocasti, ut debebas. Quare teneris de mandato, nam semper de mandato quis tenetur, quando, re integra, illud expressè, vel tacitè non revocat. Ita Nayar, in summa c. 27. num. 23. & Joan. Prap. q. 5. de irreg. dub. 8. n. 63.

13. Quod si Mandatarius post multum tempus, ex nova causa, independentè à tuo mandato, occideret, vel occideret, postquam in amicitiam tuam adversario rediisti, non est mirum, te non fore tunc irregularem, quia per illud longum tempus, cum causa nova, vel per novam illam amicitiam à mandato cognitam, non presumitur occisio facta ex tuo mandato, & per illam reconciliationem revocatum tacitè censetur tuum dictum mandatum fuisse.

Mandatarius respuens, sed postea excipiens mandatum.

14. Incertum est secundo. An si mandatarius respuat tuum acceptare mandatum circa tui inimici occisionem, deinde vero, te prorsus nesciente, mutato animo illud acceptans, tuum inimicum occidit, an, inquam, tu sis irregularis.

15. Respondeo, si tu, audita repulsa, sufficienter mandatum revocasti, dicens v. g. Ne ergo in hoc negotio te commisceas. Ne contra adversarium meum aliquid agas, &c. Jam tu ex ejusmodi sufficienter revocatione libereris mandati, atque adeo irregularitatis. Si vero sufficienter non revocasti, dicens v. g. Jam te video minus animosum, inveniam alium animosiores, &c. tunc mandati reus eris, & irregularis, ut pote, qui mandatum, insufficienter, non revocaveris.

16. Si denique nihil dixisti, nec ullum dedisti signum, quo repulsam acceptatè visus fueris, dico, te esse irregularem, quia ex illo tuo silentio non censetur sufficienter revocatum esse mandatum: licet enim, qui tacet, consentire videatur, unde tu tacens visus fueris consentire repulsa, atque adeo illam acceptasse; non tamen propterea mandatum illud tuum extinctum fuit; perseveravit enim impersum in mandatario, ex quo mandato occisio, ut hic supponimus, deinde consecuta est. Ita colligo ex Suar. de Cens. d. 44. sect. 3. n. 9. Maior. de irreg. l. 5. c. 48. §. 2. n. 3. Sayr. de Cens. l. 7. c. 2. n. 15. aliisque.

Mandans sui mandati poenitens.

17. Incertum est tertio de eo, quem sui mandati poenituit. Ego v. g. jussi occidi Petrum, sed, re integra, me valde hujus poenituit jussionis, etiam facta Sacramentali Confessione tanti delicti, quia tamen admonet non potui mandatum longè à me distans, contigit, ut occisio patrata ab ipso fuerit ex vi mandati. Inquiri, an sim ego irregularis.

18. Respondeo affirmativè, quia non attenditur, ut alibi dixi, ad statum gratiæ, quem fore nunc habes, sed ad causam homicidii, quam dedisti v. g. propinando venenum, at hic, per mandatum, licet sine tua presenti culpa non retractatum, jam dedisti causam, &c. Ita communiter Doctores, ut Suar. de Cens. d. 44. sect. 3. n. 3. & Lessius, l. 2. c. 13. dub. 3. n. 17. quidem notat, te in hoc casu incursum in excommunicationem, si forte occisus fuit Clericus, quamvis per poenitentiam inveniaris in statu gratiæ, sicut etiam incurris in obligationem restitutionis, si quæ debetur ex tali homicidio.

19. Præter in manu. de irreg. d. 4. cap. 2. §. 1. num. 12. habet Lessii doctrinam renuit admittere, agnoscat enim in hoc casu discrimen, si quidem concedit, deberi restitutionem, & incurri irregularitatem à te, quamvis con-

trito, & in statu gratiæ, at non incurri excommunicationem, quia non potest intelligi, quæ ratio ne Sanctiorum illum, qui est Dei amicus, Sicut reg. de off. Beatus in Cælis, propter illam causam, puta, quia contra statum Viatoris; ira in presenti casu, propter amicitiam, quam habes cum Deo, es incapax excommunicationis.

20. Verum cum aliis Doctores, ut Bonac. de irreg. d. 7. q. 4. p. 8. n. 15. Gaff. de eff. lib. Cleric. eff. 9. num. 1. Sayr. de cens. l. 3. cap. 26. num. 23. Sylvest. de cens. l. 1. n. 5. Salas 2. 2. q. 20. tract. 7. d. 6. sect. 8. num. 57. nullum agnoscendum discrimen, dicendumque, te in presentem, & excommunicationem contrahere, & irregularem, ad terrorem aliorum, ut in simili me, lib. 2. epist. de offic. Miss. resol. 2. §. 4. num. 6. dixisse memini, punitur, quasi invita constringitur Mater Ecclesia, etiam amicos, ac sibi per charitatem unitos, quando punitioi condemp-

21. Ad illud, quod non potest intelligi Præterito, plus esse effectus excommunicationis, ex quo minus in ejus tractatione, inter quos privato suffragium Ecclesiæ, prohibitio non recipiendi, nec ministrandi Sacramenta, non communicandi in humanis, & ceteris cum fidelibus, &c. Dico igitur, quoad privationem suffragiorum Ecclesiæ, mihi videri probabilius, excommunicationem contritum, de quo loquimur, dictis suffragiis, privati suffragiis, inquam, nomine Ecclesiæ factis, ut in opus. de Sac. Miss. l. c. explicuimus, nam obtemperare licet abstrahere ab ea questione, in quoniam constituit communicationem Sanctorum, de qua in Symbolo fides meminit. Ait etiam, ut ibid. dixi, est probabile, non privat. Quare in hoc peculiari effectu non multum differunt contra Præter. Verum quoad alios effectus excommunicationis externos, putò non recipiendi, nec ministrandi Sacramenta, non communicandi in humanis, & ceteris, non participandi sepulturam Ecclesiasticam, &c. non audeo dicere, esse probabile, excommunicationem contritum his non effici; sic enim facile clauderetur in excommunicationis, cum quilibet facile se esse eorum persuadere possit, & sic se prædictis actionibus committere. Lege Salas loc. cit.

Pertinacia mandatarii nolentis acceptare revocationem Mandati.

22. Incertum est quarto de eo casu, in quo incertum est pertinacia mandatarii. Ego v. g. mandavi Titio, ut occideret Caium adversarium meum, sed deinde Titius verbis revocavi ejusmodi mandatum, prohibendo expressè ne Titius Caium interiret; is tamen in sua pertinacia persistens, ad occisionem, me quidem sciente, sed non consentiente, processit: crone ego irregularis?

23. Respondeo. Te irregularem nonnulli, ut Sicut de cens. d. 45. sect. 4. n. 5. Turrian. l. 9. de cens. disp. 63. dub. 3. Gasp. Hurt. de irreg. d. 2. diff. 6. n. 24. Cornelius apud Dianam p. 4. tract. 2. resol. 14. pronuntiat, si id sciendo non admoneas Caium de suo periculo, cum possis, sed non per alium, quia secus ex vi tui mandati occidit. Titius. Verum puto cum aliis, ut Henr. l. 14. cap. 16. num. 2. Sayr. l. 7. cap. 2. num. 14. dicente, hanc sententiam esse communem. Avila part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 4. concl. 3. Diana loc. cit. Fatim. Frag. p. 2. Vers. irregul. num. 558. & 579. Less. l. 2. cap. 13. dub. 3. num. 18. Villal. tract. 2. 1. diff. 20. num. 5. Vgol. de irregul. cap. 5. §. 5. te non fore irregularem, quia in tanta pertinacia mandatarii, negandum est, occisum non fuisse scutum ex vi tui mandati; secus enim de ex obstinata voluntate mandatarii, solum remota, & accidentaliter te habente. Vide, quæ dicam in hoc. Quare licet in te ad sit obligatio charitatis, ut, si collas sine tuo magno periculo, Caium admoneat per alium hominem, & juxta leges prudentiæ, & veluti in gene-

ne, contra Caius occidat Titium, vel quid simile damnum eveniat; tamen quia ad id non obligaris ex iustitia; jam enim mandatum sufficienter ex parte tua revocasti, sed solum, si non adnoneas, pecces contra Charitatem, non eris irregularis, ut supra de peccante solum contra Charitatem universaliter dictum est.

Quatuor Casus similes predicto.

24. Predicto casu videtur affinis ille, quo mandans revocat quidem serio mandatum, sed Mandatarius putans Mandantem non loqui serio, & ex animo; adhuc occidit hominem ex vi mandati quod perseverat ipse putat. Affinis etiam est ille, quo mandatarius acceptat revocationem, sed deinde oblitus talis revocationis, hominem occidit ex vi mandati accepti ante revocationem. Affinis est, & ille, quo Mandans penitentia ductus sui mandati, non potest propter distantiam v. g. admonere Mandatarium de revocatione, potuit tamen admonere ipsum occidendum, ut sibi caveat, & tamen non admonet. Affinis, & ille, quo Mandatarius propter distractionem mentis, vel aliud, non percipit revocationem Mandantis.

25. Delugo d. 19. de iust. a n. 25. ait sibi videti in his quatuor casibus, secuta alterius morte, incurrere a mandante obligationem restitutionis, unde colligi possit, eam sentire, incurrere etiam irregularitatem; siquidem eadem culpa contra iustitiam in homicidio parit utrumque onus & restitutionis, & irregularitatis. Et quidem ita mihi videtur, quia in omnibus his predictis casibus, alterius occisio a tuo tandem mandato consequitur.

De irregularitate ex consilio, seu suasionem.

26. Multa, quae in hac materia ad mandatum pertinent, eadem ad consilium, & quae ad hoc ad illud: ut propterea eadem doctrina proportionaliter sit mutuo utrique commodanda, sed adhuc sunt addenda, quae sequuntur.

Suadeo, ut alio modo, ac volebas occidas.

27. Suadeo tibi, ut interficias Antonium alio modo, quam illo, quo intendebas. Intendebas enim gladio, ego suasi, ut faceres veneno, vel contra, Reusne suum irregularitatis, secuta Antonii morte?

28. Respondeo, esse distinguendum: Si enim modus a te propositus facit occisionem celeritorem, vel occidentem reddit animosorem, non effugies irregularitatem: Si haec, vel similia non adsint, effugies. Ratio est quia irregularitas solum incurritur, quando concurrat actio, seu suasio ad ipsam substantiam occisionis, vel ad eandem accelerationem.

29. Quare, si tibi suadeam; ut fiat occisio diverso quidem modo, quo volebas, sed, qui non afferat occisionem celeritorem, nec te faciat audaciotem, non video, unde irregularitas mihi oriri in dicta suppositione possit.

Hinc, si tibi quis suadeat, ut occidas eum, quem volebas omnino hodie, non incurret irregularitatem. Lege Dianam p. 11. r. 8. ref. 42. quia sic potius conservat pro aliquo tempore vitam alterius, quam aufert posito semper quod mors etatna non inferatur animosus ex illius consilio, quam inferretur hodie.

30. Quid si suadeam, ut occidas, mitiore morte, quae sit celerior? Volebas v. g. occidere maleficio gravia tormenta afferente per anostego suasi, ut gladio occideres statim: Volebas conscindere paulatim singula membra, ego suasi, ut occideres unico vulnere praecordiorum, &c.

31. Respondeo, Si id motus Charitate facias, te Reum irregularitatis facere non audeo, quia Pia Mater Ecclesia non videtur utile, tam aeri poena punire consilium de minori malo, quod, ut l. 5. in Dec. c. 1. §. 4. a n. 6. diximus, bonum quid est. Relege locum; ubi monuimus, quamvis non possis cooperari adjuvando malefactorem

ad ipsum minus malum, v. g. ad verberationem loco occisionis; posse tamen suadere, ut potius quis verberet suum inimicum, quam, ut occidat. Confirmatur, quia passim Doctores, ut Suar. de conf. d. 45. sect. 3. n. 2. & 3. Ayll. de conf. p. 7. d. 6. sect. 2. d. 3. concl. 1. Sayr. de consil. 7. c. 3. n. 13. Dian. p. 4. r. 2. ref. 18. sine, propter dictam rationem, asserunt, non incurtere, nec excommunicationem, nec irregularitatem eum, qui suadet volenti occidere Clericum, ut potius eum verberet, vel ut potius mutiler. Ita igitur in casu nostro.

32. Si vero suadeas malo sine, ut esset v. g. quia vis, quanto potius, tum inimicum extingui, vel occisi hereditate potiri, &c. te irregularem facio, quia ului tibi esse non potest exultatio ducta ab intentione pie Matris Ecclesiae jam dicta.

33. Si denique id suadeas motus sine indifferenti v. g. ne is, qui occidit, incidat in manus iudicum, vel quid simile, non audeo te immunes ab irregularitate pronuntiare, quia non audeo interpretari, ad hunc etiam casum se extendere praedictam pie Matris Ecclesiae intentionem.

Pertinacia nolentis acceptae revocationem consilii.

34. Suasi tibi multis usum rationibus, ut interficeres Antonium, sed deinde revocavi, omni, ego potui, conatu, hoc consilium, rationes, quibus invertebatur consilium infirmando; Tu vero animo obfirmato retinens merces rationes, quas proposueram, nunc mihi non acquiescis, sed hominem occidis, Et ne Ego irregularis?

Respondeo, id diserte explicui, l. 6. in Dec. c. 4. §. 5. n. 3. & 4. Adde non fore doceri cum multis a Gib. de conf. d. 5. q. 3. n. 26. iudicans, utrumque probabile, puta te fore, teque non fore irregularem.

Consilium de non appellando.

35. Quidam damnatus ad mortem intendebat ad superiorem iudicem appellare: ego autem illi per meum consilium suasi, ne appellaret, unde ipse saltem citius, quam si appellasset, mortem subijt. Sumne ego irregularis?

36. Respondeo, Te irregularitatis damnat Henriquez, Sayr. Corneio, Gibalinus, Diana apud Leandrum, tract. 2. d. 7. de irreg. quest. 35. Ipse tamen Leander distinguit: si tu ex Ministri iustitiae es, v. g. Iudex, Capitaneus, &c. incurris irregularitatem ex defectu lenitatis, si vero persona es privata, v. g. Confessarius, Theologus, &c. non incurris irregularitatem ex defectu lenitatis, si vero persona es privata, v. g. Confessarius, Theologus, &c. non incurris. Ratio est, inquit, quia Ministri solum iustitiae incidunt in irregularitatem ex defectu lenitatis, eo modo, quo etiam nos aliquanto post explicabimus: Irregularitatem autem ex delicto solum incurritur, qui delinquit, occidendo, vel mortem accelerando quales non sunt praedicti Confessarius, & Theologus, vel similes, qui solum consilium dare, supponunt, non vero cogere.

37. Ego non omni parte assentior huic Leandri doctrinae. Non primae parti distinctionis: Potuit enim iudex ille, vel Capitaneus persuadere omissionem appellationis non ut iudex, sed, ut privata persona, eo modo, quo consilium dare solet Theologus. De hoc ego casu ita d. scurrendum tunc erit de iudice, vel Capitaneis, sicuti de personis privatis, Theologo, Confessario, &c. de quibus mox. Non secundae, quia si confessarius, & Theologus imprudenter darent consilium, delinquerent, atque adeo accelerarent mortem iniuste, unde effugere irregularitatem non possent.

38. Dico igitur Ministrum iustitiae, si, ut Minister praedictam omissionem appellationis, iuste persuadeat, certum est, incurtere irregularitatem ex defectu lenitatis. Verum tum dictus Minister dans consilium, ut privata persona, tum dictus Theologus, & Confessarius suadentes Appellationis omissionem, si moveantur ad suadendum ex bonis, & rationabilibus motivis, quod certe

occurrere possit, quando Appellatio esset frivola, & perniciosa, non incurretur irregularitas ex delicto, quia non peccatur, nec irregularitas ex defectu, quia, ut sic non sunt iustitiae Ministri, nec Milites in bello iusto. Si vero temere, & sine ratione Appellationem removeant, etiam si non cogant, peccant. Quare non acceleratur mortis Rei, & consequenter irregulares non sunt.

Consilium mortis propter bonum publicum.

39. Consilium dedi Petro, ut se exponeret periculo mortis pro bono publico, vel privato, cui se exponere licite poterat, occisus est, & ego de mea irregularitate ambigo.

Respondeo, ne, quae so, ambigas, sed certo scias, cum Gibal. de irreg. c. 4. §. 2. n. 19. te non esse irregularem propter rationem valde similem ei, quae dicta est n. 30. ut item quid simile dictum est §. 3. n. 13.

De dubio in praedictis remissivè.

40. De hoc locutus sum factis in superioribus, puta c. 5. §. unic.

De irregularitate ex Ratihabitione, seu Approbatione Homicidii.

41. De hac breviter, sed quantum sufficit, l. 5. in Decal. c. 4. §. 5. n. 7. dixi, & late habes apud Gibal. de irreg. c. 4. §. 1. n. 45. aliosque ab ipso citatos.

§. I. X. An contrahatur irregularitas, quando quis negative se habet ad alterius mortem?

1. Diximus supra §. 2. à num. 37. omitterem facere, quod quis debet ex iustitia, ex qua omissione sequatur mors alicujus, fore irregularem; omitterem vero facere, quod quis debet ex Charitate, unde similis mors sequatur, irregularem non fore. Ad idem tamen Gasp. Hurt. aliosque, quibus nunc adde Leand. de irreg. n. 2. d. 10. §. 87. & 88. censete etiam illum, qui committit ex iustitia, non fore irregularem, atque addidi, & huc explicandum remisi, ut hanc sententia sit probabilis, dictam omissionem debere esse puram. Quare, quanam sit haec puritas hic enodandum venit.

2. Illa est ommissio pura, cui nullus adjungitur actus positivus, illa autem non pura, cui positivus aliquis actus adjungitur. Exemplis res evadet clarissima.

Exempla pura omissionis.

3. Titius est praetor Urbis, vel custos Viarum, vel Dux exercitus, vel precio conductus, vel ex consanguinitate obligatus, sive ex charitate, sive ex iustitia ad defendendos suos. Verum in occasione aliqua illos nequaquam defendit, unde permittit aliquem ex his occidi. Peccat quidem graviter, sed non est irregularis, quia haec est mera ommissio, cui non adnectitur ullus actus positivus. Idemque aliqui ut G. Hurt. de irreg. d. 2. dif. 9. n. 34. citans Vasq. in man. de irreg. lurr. de cens. l. 9. d. 63. dub. 3. & prob. put. Io. Prap. §. 5. de ir. d. 10. n. 29. & Dian. p. 4. tr. 2. ref. 7. dicunt esse, etiam si dolo, & scienter illa mera permissio fiat, quia non extrahit permissionem ab esse puro negativo, cui soli nequaquam irregularitatem adnexerunt Canones, sicut supra dixi haec probabilis sententia.

4. Medicus, Nauclerus, Advocatus, Procurator, quamvis ipsi conducti fuerint, si nihil agendo, sive ob imperitiam, sive ob odium, perire sinant aegrotum, Navim, Clientem, non incurrunt ex hac probabili sententia in irregularitatem, licet peccent contra Iustitiam. Quare Medicus v. g. qui jam fortasse habuit, ante pretium sui laboris suscipiend., sive deinde curam Infirmi suscipere nolit, sive ea suscepta, illum non exhibeat, sive urgentiore tempore deserat, unde moriatur Infirmus, peccabit quidem contra Iustitiam, ut dixi, sed ex hoc peccato irregularitatem, propter ejusmodi puram omissionem, non contrahet. Ita praeter citatos Val. in

diff. utriusque fori V. Homicidium diff. 5. ad quem supra Palat. Caiet. Ita etiam Leand. l. 2. de irreg. d. 10. §. 87. aliosque.

5. Iudex capite damnavit tuum fratrem, sed si aliquem pecuniam offeras, is liberabitur, Gallator filium tuum inclusum apud se retinet, teque per internum tuum necet, ut ei aliquot aureos mittas, secus filium occidet, Tucca, vel Hostis tuum patrem captivum interficere iuravit, nisi tu illum mortem competentem pecunia redimas, nec tu praedictas pecunias numerare negligis, vel comites non eris, teste Vgol. de Irreg. l. 6. §. 4. p. 19. (qui haec ommissio pura) irregularis, illorum morte secuta, etiam si supponamus ex iustitia te debere illas pecunias numerare. Dico (si supponamus) nam de hac re l. 5. in Dec. c. 1. §. 1. n. 9. à me dictum est satis.

6. Inquires hinc. Si Petrus tibi suadeat, ut praedictas pecunias ex iustitia debitas non numeres, tui Petrus, morte secuta, irregularis? Idem quaeri potest, si Petrus tibi suadeat; ne defendas aliquem quem defendere moris, vel ne tu dives des elemosynam egro, qui pro te me perit, vel, tu ne M. dieus cures inimicum, vel tu molitionem mortis alicujus reveles, &c.

Respondeo, non esse, putat Vgol. nus, videtur cui adhaeret Leand. de Irreg. d. 10. §. 94. & sequenti, quia licet non es irregularis tu, qui es principalis, & non numeras illam pecuniam, vel ad illas actiones pure negare te habes, ita, & Petrus, quia haec suadet. Verum non est audiendus, si suasio Petri fuit causa, ut v. g. pecunia illa non mitteretur. Ratio est, quia tunc mors illa merito imputatur Petro disuadenti, cum enim is non negavit se suadente (ut te habes tu, qui non mittis) sed max. me perire per actum persuadendi, incurrit in irregularitatem adiectam ex Sacris Canonibus actu positivo, ut modo diximus, & mox in exemplis iam ponendis clarius v. d. bit.

8. Objcis, Mirum est, Petrum, qui se remissus habet ad mortem praedictorum, incidere in irregularitatem, non vero te, qui immediatus.

9. Respondeo, non esse mirum, quia Petrus positive habet, cui actioni Sacri Canonis conjungitur irregularitatem, tu vero nihil agis, cui omissioni non est ad eisdem Sacris Canonibus ulla irregularitas adjuvanda.

10. Illud tamen adverte, si Petrus id persuasit bono sine v. g. ne iudicis iusta sententia pecunias impeditur, ne Gallatores, ad ejusmodi lucra extorquenda, adhaerent, ne hostes illa pecunia fortiores evaderent, Petrus non fore irregularem, quia non est putandum Ecclesiam voluisse sub tanta poena recta & rationabilia consilia prohibere, ut in simili dictum est saepe. Nam propterea nec irregularem fore, puto eum, qui deterreret amicum, ne à manibus Satellitum eriperet illum, qui damnatus ducitur ad mortem, quando id faceret, ne impeditur actus Iustitiae, vel ne amicus, sic incidere in aliquod propriae vitae periculum.

Exempla omissionis non pure, id est alicui alicui adjuvanda.

11. Notarius, Procurator, vel quicumque alius habet scripturam, qua visa, quis à morte liberaretur, advertens autem, eam perquiri ad dolum hominum salvandum, ipse eam non solum non profert, seu non ostendit, nam sic esset ommissio pura, de qua in praecedentibus numeris dictum est, verum etiam illam occultat, vel ad transfert, ut inveniri non valeat, vel lacerat, vel comburit, vel rogatus, negat, apud se illam servari, cum morte secuta, irregularis, quia omissioni ostendendi scripturam adjungitur actus positivus illam occultandi, lacerandi, &c.

12. Testis non solum, non se sitit iudici ad testificandum in favore alicujus, qui hoc teste delictus capite punitus fuit; haec enim esset pura ommissio? verum etiam rogatus dixit, se nihil scire, irregularis erit ex delicto, quia illi omissioni adjungitur hic actus positivus.

13. Amicus destinat te nuntium, ut Petrum adveniens, ipsi insidias parati à suo inimico, Tu vero non solum,